

satisfacerent. « Probabile est, quod nullus in Jeru-
« salem audebat eum recipere hospitio, propter
« metum Pontificum et conspirationem Scriba-
« rum. » Quotidiana etenim experientia demon-
« strat, quod Deus in potiori hominum parte locum
« habere nequeat, solum propter respectum et inter-
« resse humanum.

5. — S. Anselmus ait : « Nota, quod Christus
« pauper venit, nulli unquam adulatus, nullum
« invenit hospitem in urbe. » Unde S. Marcus, xi, 11,
« scribit : « Circumspectis omnibus, cum jam vespera
« esset hora, exiit in Bethaniam. » Ecce tibi, ubinam
« triumphus illius pompa tandem desiderit, ex toto illo
« innumerabili populo, qui illum adeo concorditer,
« veluti verum Messiam et filium David præconiza-
« verat, ne vel unum invenit, qui fami ipsius aliquod
« subsidium ferret, vel qui sub tectum suum ipsum
« receptaret; et tamen adeo tunc famelicus erat, ut
« diluculo sequenti, dum ad arborem ficus accedens,
« nullus in ea fructus reperisset, eidem protinus
« maledixerit. Optime igitur Jansenius hic ait : « Ut
« irriteret hujus mundi gloriam, ostenderetque,
« quod sit inanis et infida, cum tantos applausus,
« tantasque honorificas acclamationes, ac tantum
« populi studium secuta sit crux. »

6. — Nulla hoc loco circumstantia suo caret
« mysterio : *Foras*, inquit Evangelista, *extra civita-*
« *tem*. Lucas Brugenensis ait : « Ut omnem occasionem
« auferret adversariis suis, cogitandi et suspicandi

« ipsum tanto plausu exceptum, Regemque a mul-
« titudine declaratum, velle moliri aliquid noctu
« agere, de occupanda urbe, vel regno terreno
« ineundo. »

In Bethaniam, ibique mansit.

7. — S. Anselmus ait : « Apud Lazarum, soro-
« resque ejus exceptus est hospitio, in quodam
« oppidulo. » S. Hieronymus ait : « In agro par-
« vulo. » Ecce tibi quonam Dominus noster, post
« totius illius amplissimæ civitatis triumphum et
« applausus?

8. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxxviii*, ideo
« Christum Jerosolymæ tergum veritatis existimat,
« quia inferendæ sibi necis conjurationem, adversus
« se machinandam præviderat, ideoque hospitium
« suum in Bethania, apud duas illas sanctissimas
« sorores, accipere voluit : « Ut illic requiesceret
« corporaliter, ubi et spiritualiter repausabat; nam
« sanctorum virorum est, non ibi querere man-
« sionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideiores;
« nec gaudent, ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanc-
« titas floret. »

9. — S. Thomas in sensu mystico exponit,
« dicens : « Transit in Bethaniam, in domum obe-
« dientiæ, ibi enim moratur Jesus. *Et mansit ibi,*
« quia in obedientibus sibi manet. Unde, *Joan.*, xiv,
« 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*
« *et sequitur : Et mansionem apud eum faciemus. »*

FERIA QUARTA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XII, VERS. 38

38. Responderunt ei quidam de Scribis et Phariseis, dicentes : Magister volumus a te signum videre.

39. Qui respondens ait illis : Generatio mala et adultera signum querit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophete.

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terree tribus diebus et tribus noctibus.

41. Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; et ecce plus quam Jonas hic.

42. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam, quia venit a finibus terræ, audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic.

43. Cum autem immandus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit.

44. Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi, et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam.

45. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus; sic erit et generatio huic pessimæ.

46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

47. Dicit autem ei quidam : Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te.

48. At ipse respondens dicenti sibi ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?

49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

VERSUS 38.

Magister, volumus a te signum videre.

Magister.

1. — « Magister dicitur, tentando, » inquit S. Thomas; *Ps. xxxiii*, 3 : *Loquuntur pacem in ore suo, mala autem in cordibus eorum.* Cui Angelici Doctoris opinioni S. Paschasius perfecte concordat, neque enim ipsum Deum, sed vulgarem hominem, sicut nos sumus, esse credebant. Ideo adulatorie magis et fraude, quam ex fide vel religione eum magistrum vocant. Et quidem consideratio isthæ ex Chrysostomo desumpta est qui in expositione hujus verbi, *Hom. xlv in Matth.*, ita scribit : « Verba « considera, quomodo adulatione ac derisione plena « sunt, putabant enim essentiatimcula ipsum alli-
« cere, qui modo adulantur, modo conviciantur, « modo daemonicum, modo Magistrum appellant. »

2. — Lucae, *cap. xi*, ubi major hujus Evangelii pars describitur, illos qui Christum, quod in virtute Beelzebub daemona egeret, calumniabantur, manifeste ab eo confutatos et confusos fuisse legimus; qui proinde cautiore facti, hoc Magistri nomine, Salvatorem compellant, quasi ab eo edoceri vellont, simulantes. Unde Abulensis ait : « Timentes duram « Christi increpationem, nam socii eorum, qui « dixerunt : *In Beelzebub eiecit daemonia*, fuerant « nimis increpati; blandius ergo isti loquuntur ut « non esset ita Christo occasio eos arguendi. »

Volumus.

3. — Dionysius Carthusianus hoc verbum ponderans, dicit : « Quod dicunt, *Magister*, ad humili-
« tatem pertinere videtur, quod vero adjiciunt, « *volumus*, superbiam sonat. »

4. — Petitio isthæ, illi Christi doctrinæ adversari videtur, quæ in oratione Dominica sive quotidiana nobis præseribitur, dum in ea a Deo Patre orare jubemur, ut non nostra, sed ipsius voluntas fiat : *Fiat voluntas tua, sicut in celo et in terra.* Quam porro doctrinam ipsemet quoque executus fuit, dum, *Matth.*, xxvi, 39, ait : *Non sicut ego volo, sed sicut tu; descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam.* Eusebius Emisenus, *Hom. in hac fer.*, ait : « Non rogant neque postulant, sed indato « stomacho ac erecta cervice dicunt : *Volumus.* » Unde superbiam et animi sui elationem non occul-

tant, sed propalant. Enimvero voluntas propria in sacra Scriptura semper condemnatur. Legitur, *Ecclesi.*, xviii, 30 : *Post concupiscentias tuas non eas et voluntate tua avertere, si præstes animæ tuæ concupiscentia ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Proprium hoc est impiorum idioma, sive modus loquendi, quo dicunt : *Volumus.* Unde levilica saltatrix illa caput S. Joannis hisce verbis proponit : *Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis.* Paulus de Palatio ait : « O si nunquam hæc vox « *volumus* a nobis prodiret! O si nunquam voluntas « nostra, nostra esset! O si solum vellemus, quod « Deus vellet. Hæc nostra voluntas est, quæ nos in « infernum præcipitat. Quis ferat, servum eorum « Domino dicere : *Volo?* » Quotiescumque Dei voluntatem adimplemus, tunc securi esse possumus, quod voluntas nostra adimpleatur; siquidem a Spiritu Sancto dictata veritas est, quæ dicitur, *Ps. xlvii*, 19, quod Deus noster voluntatem timentium se faciet.

A te signum videre.

5. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxx*, in persona Christi interrogat : « Signum vultis videre? » quasi Dominus noster diceret : Ubinam eratis, quando o spiritus infernales a me non virga aut ferala, sed voce mea castigati, vociferabantur, dicentes : *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos? Scimus te, quia es Filius Dei.* Demones igitur, miraculis meis visis, steterunt attoniti, vos autem illa ne quidem aspicere dignamini? Ubinam eratis, quando caeci lumen sibi oculorum a me restitui postulabant? « Caeci, me non videntes, viderunt et « vos videntes, me non vidistis? » Ad quas questioneres responderi potest, quod tametsi improbi homines isti multa a Christo patrata prodigia viderint, hoc tamen fuerit perversorum illorum supplicium : *Ut videntes non videant.* Enimvero sol, quantum est ex parte sua, nos illuminat, si vero nulla ab ipso luce collustremur, non est ejus defectus, sed id ab indispositione nostra procedit, qui ipsius lucem subterfigimus, et ideo, sicut depravatus stomachus cibos, etiam delicatissimos et saluberrimos, in malos humores convertit; ita quoque sacrosancta Salvaloris nostri opera et miracula, pharisaicam magis magisque accendebant invidiam, eamque adversum se longe semper ferventius irritabant.

6. — Apud S. Lucam, xi, 13, Christi miracula magiæ attribuebant, dicentes : *In Beelzebub principe*

dæmoniorum, eiecit dæmonia. Postea vero de hujus calumnie falsitate convicti et confutati, ne illi cedere ullatenus viderentur, miracula cœlis ab eo fieri postularunt: *Tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo*, id quod S. Hieronymus declarans, dicit: « Vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant; vel in similitudinem Samuelis, tempore æstivo contra naturam loci, mugire tonitrua, concussare fulgura; » ipse vero petitioni ipsorum nequaquam acquievit, quia ut S. Thomas ait: « Eliam si daret signa cœlestia, non crederent. » *Jo.*, III, XII: *Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixerō cœlestia, creditis?* » Malitia etenim ipsorum nihil erat facilius, quam ut quodvis ab eo, etiam de cœlo patratum miraculum, calumnia falsitatis aspergerent. Et ideo S. Paschasius ait: « Quasi non possent et ista, si fierent, « calumniari. » Eousque enim ipsorum excreverat obstinatio, ut Christo non crederent, quamvis admirabili et prodigiis virtute miracula et portenta multiplicaret; unde tamen operæ pretium fore existimant, si mortem et machinarentur, eumque velut lapidem offensionis e medio tollerent. *Quid faciunt, quia multa signa faciit?*

7. — Chrysostomus optime observat, *Hom. XLV in Matth.*, quod Evangelista dicat: *Tunc responderunt ei quidam de Scribis: Voluntas a te signum, etc.* Unde dicit: « Tunc istud, quando significat, ut sit sensus: « quando scilicet flexus jam esse oportet, quando « admirari atque obstupescere, quando saltem con- « fusi recedere debebant, tunc in malignitate atque « pervicacia sua pertinaciter perseverant. » Porro Lucas Brugensis, ex alio quodam capite, malignitatem ipsorum conjicit, quia dicit: sperabant Christum petita miracula minime patratum fuisse, tum ne curiositati, malæque ipsorum intentioni corresponderet, tum ne potentie suæ virtutem inaniter ostentare videretur, in hoc enim casu latum sibi campum aperiendum fore credebant, ad diminuendam ejus, quam penes populum habebat existimationem, quia huic persuadere se posse cogitabant, quod quicquid hactenus prodigiorum patrasset, id totum dæmonum subsidio et commercio, quod ipsi cum illis intercedebat, attribui posset. « Eo vero studiosius petebant ut, cum « non ederet, persuaderent populo non esse illi « cum Deo negotium, sed cum Satana, quia non « posset signum e cœlo producere, sed ex inferis « potius proferreret, consuetudine cum dæmonibus « inita. »

8. — Lyranus per hosce Sacerdotes et Scribas, illos intelligi posse censet, qui secretorum cœlestium intelligentiam, sphaera capacitatis ipsorum longe superiorum, sibi arroganter vindicare prætendunt. « Per istos qui quærebant signum de « cœlo, significatur cupidus Theologi, nitentes « præsumptuose intima divinitatis perscrutari, et

« sic opprimuntur a gloria, quia per hoc ali- « quando labuntur in erronea documenta. »

9. — Dionysius Carthusianus argute considerat Scribas hosce, per uno verbo bono, plurima postea subjungere impertinentissima verba. *Magister*, ecce unicum illud verbum bonum, quod vero reliquum est verborum, ea nil nisi superbiam, invidiam et perfidiam ipsorum indicant: « Quod dicunt, *Magis- « ter*, ad humilitatem pertinere videtur; quod vero « adjiciunt: *Voluntas*, superbiam sonat; sed quod « subdunt: *Signum videre*, ex infidelitate et curio- « sitate procedit. »

VERSUS 39.

Qui respondens, ait illis: Generatio mala et adul- « tera signum quærit, et signum non dabitur ei, « nisi signum Jonæ Prophete.

Generatio mala.

1. — Chrysostomus, *Hom. XLV in Matth.*, Christum illos reprehendisse putat, appellando illos generationem perversam, propter fictionem et simulationem ipsorum. Lucas Brugensis idem quoque censet, præcipue tamen probroso hoc nomine illos a Christo appellatos esse credit, propter ipsorum hypocrisin et adulationem, quæcum in oculis Christi comparere volebant: « Summa libertate adulatori- « bus hypocritis respondet, in eosque invehit, « qui perverso, non simplici animo signa pete- « bant. » Hoc igitur ei attribuit Magistri titulo adulari ipsi volebant; unde observandum est quod, quando paulo ante illum infamaverant, dicendo: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia*, ut videre est apud S. Lucam, XI, 15, Christus illis magna cum benignitate respondit, confutando solum ipsorum errorem, quo hac in re tenebantur; at vero modo, dum fingunt et adulantur, cum asperitate quadam illos objurgat; cujus discriminis Chrysostomus, licet ad aliud quoddam propositum scribens, rationem reddere potest; dicit enim hic S. Doctor, *Hom. LXXXVIII in Matth.*: « Si aversari « nonnullos decet, adultores magis quam contu- « meliantes odisse oportet, major enim ex adula- « tione pestis quam ex vituperatione oriri solet, et « facilis hanc quam illam superare possumus. » In quo eodem sensu Sapiens loquitur, *Prov.*, XVII, dum ait: *Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis.* Snum apud illos honorem et innocentiam mansuete respondendo, defendit, quando bonæ famæ ipsius detractores existunt; at vero dum se hypocritas exhibent, fingunt et adulantur, mox illos severo reprehendit, asperisque et probrosis verbis alloquitur, ut hac ratione nos doceat, adultores magis fugiendos, longeque Rei-publicæ perniciosiores esse quam detractores.

2. — Chrysostomus, *Hom. XLV in Matth.*, improprium istud a Salvatore, cæteroquin mihi et

mansueto, prolatum fuisse censet, ob ingentem ipsorum ingratitude: « Generationem malam « nuncupavit, tum quia semper ingrati benefici- « ribus existierunt, tum quia suscepti beneficiis, « quod extrema vitiositatis est, ad malignitatem « incitantur. »

3. — Hugo Cardinalis illos, *generationem malam* appellatos fuisse dicit, propter invidiam: « Mala, « per invidiam. » S. Thomas illos hoc modo appel- latos fuisse autumat, propter structas illius vite varias insidias: « Mala, quia insidiatores erant; » quibus proinde exprobrare hæc verba jure potuisset, *Deut.*, XXXII: *Generatio prava atque perversa: hæcine reddis Domino, populo stulte?* Beda ait: « Malam « dicit, propter transgressionem mandatorum Dei. »

Et adultera.

4. — S. Hieronymus, *ibid.*, ait: « Egregie dicit « adultera, quia dimiserat virum et juxta Ezechie- « lem, multis se amatoribus copulaverat. » Chry- stostomus, *Hom. XLV*, dicit Christum, per hunc adulteri titulum, populi hujus infidelitatem denotare voluisse, tum antecedentis, tum presentis. Anctor Imperfecti, *Hom. xxx*, meretricis cujusdam similitudinem adducit, quæ se marito suo bene quidem velle fingit, sed interius adulterum diligit; in faciem quidem se consortem diligere simulat, et tamen in corde ipsius amor lascivus flagrat. « Sic « et Judei videbantur esse Dei cultores, erant au- « tem diaboli amatores. » Beda ait: « Adulteram « vocat quia derelicto Deo vero, diversarum gen- « tium idolis serviebat. » Dionysius Carthusianus probrosum hoc adulteræ nomen de adulterio spiri- tuali intelligendum esse dicit. « Spirituali adulterio « scilicet recedendo a Deo, » prout in Osea, IV, 12, dicitur: *Fornicati sunt a Deo suo.*

Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophete.

5. — Hisce verbis Christus, ex mente Jansenii, dicere voluit, se nullum de cœlo patratum esse miraculum, prout ipsi alias postulaverant, suo tamen tempore se daturum esse signum quoddam totaliter diversum, cæterum se talia hactenus mira- cula patrasse, ex quibus sufficienter agnosceret possint se verum in lege promissum Messiam esse. Quod idem Lucas Brugensis ait: « Non dabitur ei « quale petit; nec enim quærit ut veritatem agnos- « cat, nam et illa, ut cognoscatur, sufficient, quæ « edita sunt, Deus autem non debet hominum vo- « luntati obsequi, præcipue depravorum. »

6. — Verumtamen se illis pro illo tempore, Jonam Prophetam pro signo dare velle declaravit, id est, ut Albertus Magnus, *in Matth.*, exponit: « Quod significatum est per signum vel miraculum « quod contigit in Jona. » S. Thomas ait: Per signum Jonæ « signatur mors Christi, » id quod

etiam ex verbis sequentibus clare deducitur; siqui- dem ut *Jonæ*, VIII, 28, Christus clare dixit: *Cum exaltaveris Filius hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Tunc enim latro ipsum Regem agnovit cœlorum, cœterum ipsum Filium Dei verum esse confessus est; multi insuper alii *revertebantur per- « cussantes pectora sua.* Quando *Jonæ*, II, 19, æterni Patris sui cultum a venditoribus, qui in templo erant, profanatum, eosdem eiecendo zelavit; tunc auctoritate, qua id faceret, et de signo, quo divinitatis suæ auctoritatem authenticaret, postulatus respondit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud; ille autem, ut Evangelista subjungit, intelligebat de templo corporis sui.* Optime quoque historia Jonæ Prophete cum Passione Domini consonat; sicut enim ille in mare projectus fuit, ita et Christus acerbissimo Passionis mari immisus fuit: *Magna velut mare contritio tua.* Jonas a tempestate maris et a cœlo absorptus fuit. Christus quoque de semetipso dicit: *Veni in altitudinem maris, et tem- pestas demersit me.* *Tollite me et mittite in mare,* inquit Jonas, *et cessabit mare a vobis.* De communi quoque Salvatore nostro Caiphas dixit: *Expediit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* *Jonæ*, XVII, 14.

7. — S. Anselmus in ea est opinione, quod Christus illis dare intenderit aliud quoddam signum totaliter ab illo, quod postulaverant, diversum: « Respondit dicens se non de cœlo signum dare, « quod indigni erant videre, sed de profundo « inferni, quale est Jonas Propheta a cœlo voratus, « hoc est, Christus de abyso et mortis faucibus « liberatus. » S. Thomas illos indignos fuisse scri- bit, qui signum aliquod de cœlo acciperent. « Hoc « enim dedit Apostolis suis, qui viderunt eum « ascendentem, qui gloriam Dei viderunt in monte, « sed istis non dabitur nisi signum in inferno, « quantum ad animam et de terra quantum ad « corpus. »

8. — Theophylactus ait: « Signum dicit resur- « rectionem suam, ut admirabilem. » Etenim Christi resurrectioni, ipsum, præ quovis alio vite sue mysterio, vere Deum esse demonstrat; hanc autem, signum Jonæ appellat, quia in Jona ejus figura præcessit; et quidem Christus ideo, ut Jansenius notat, semper fere cum incredulis Judæis agens, ut illos de suæ divinitatis veritate convinceret, argu- mento usus fuit sue resurrectionis: « Eo quod illud « omnium efficacissime demonstrat, quisnam ipse « esset. »

9. — Lucas Brugensis idem hoc signum, ruinam ipsorum demonstrasse existimat: « Dabitur ei « signum quod minime desideret, non e summo « cœlo, sed ex ima terra; quod semel opprimatur, « ita ut vel credat, vel pereat; resurrectio enim, ut « erat summa Jesu gloria, ita summum erat tor- « mentum inimici ejus. » Eiusdem quoque opinionis

Cajetanus fuit, qui observat, quod illis proponat Jonæ ad Ninivitis missi factum, quasi dicat: « Sic ego plusquam Jonas prædico vobis salutem et penitentiam, ero triduo mortuus et resurgam, » inde vestra subsequetur ruina per Romanos. »

10. — Quod si quæras, cur Christus petitioni ipsorum non satisfecerit, exhibendo illis signa quæ peterant? Responderi in primis potest, præter id, quod jam dictum est, Christum, increatam illam Sapientiam in patratione miraculorum hosce sibi præcipue habuisse propositos fines nimirum æterni Patris sui gloriam et animarum verum profectum, atque æternam salutem, non vero ostentationem atque applausum humanum; ac proinde ab hisce petitis signis patrandis ex proposito abstinuisse, quia illos eadem vel ex curiositate, vel ex malitia postulare certo sciebat: *Posuerunt signa sua et non cognoverant.* Etenim Saluator noster gratias suas, que in nostrum beneficium libentissime donaturus esset, dare nobis nihilominus differt, aut prorsus abnuit, ne eos, quos illis abusus esse certo prævidet, acerbius propter illas castigare cogatur.

11. — Responderi item posset, quod si, ut illos facere par erat, sacras attente et sollicitè evolvens Scripturas, quibus Messie prædicabatur adventus utique ex illis perspicue agnovissent, longe alia adventus sui signa ab ipso edenda esse, quam ea, quæ ipsi curiose ab ipso postulabant.

VERSUS 40.

Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus et tribus noctibus.

1. — Jansenius, *ibid.*, optime notat, Christum inter et Jonam non solum hanc intercessisse analogiam, verum plures quoque alias in medium adduci posse. Sicut enim Jonas ad sedandas maris tempestates, sese ultro et sponte in mare ab illis projiciendum obtulit; ita quoque Christus ad æterni Patris, humano generi gravissime indignati, iram placandam, sese sponte in ignominiosam mortem subeundam tradidit. Jonas Judæa relicta, in Ninive prædicandi causa sese recepit, eandemque brevi tempore ad meliorem frugem convertit: « Ita et Christus post resurrectionem suam, relictis obstinatis Judæis, per Apostolorum prædicationem multas gentes ad fidem et penitentiam subito convertit. » Quibus addi potest, quod, sicut Jonas dicit: *Adhuc quadragesimo die, et Ninive subvertetur;* ita quoque misericors Saluator Judæis, ante Jerosolymæ destructionem, eorumque per omnes mundi plagas dispersionem, quadraginta solidos annos ad respiciendam, licet irritò effectum, indulset. Eandem quoque observationem Paulus de Palatio adducit, videlicet multas quoque in Jona alias concurrisse actiones, per quas Christo comparari potuissent. Cur

autem Christus supradictam similitudinem solum et non plures adduxerit, hæc potissima, ut reor, ratio fuit, quia per nullam evidentius se vere Deum et Messiam esse in lege promissum ostendere potuit; quia cum Saluator per cor terræ, infernum intellexerit, eoque post mortem quoad animam descendit, ut tanquam Deus Majestatis et omnipotentie infinitæ, captivos inde e limbo Patres antiquos educeret, quisnam esset, satis evidenter declaravit. Unde S. Apostolus dicere non dubitavit, *Eph.*, iv, 9, 10, quod triumphalis Christi in caelos Ascensio, in qua et a terra, et a cælitibus, tanquam verus Rex gloriæ, agnitus fuit, nec non ipsius, ad æterni Patris sui dexteram gloriosa sessio, veri fuerint hujus sui in cor terræ descensus effectus: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos.* In hoc namque corde sive centro terræ et secundum animam, in triduo mortis constitutus, infernalis illius Cerberi fauces forlitter ligavit et constrinxit. *Apo.*, xx, 42: *Apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, et ligavit, innumerasque electas Sanctorum animas, ex tetro illo carcere potenter exemit.* Unde Ecclesia in hymno Ascensionis ita canit: « Inferni claustra penetrans, tuos captivos redimens, victor triumpho nobili, ad dexteram Patris residens. » Denique infernum, in verum quemdam Paradisum commutavit, dum animabus illis beatitudinem et clarum Dei visionem concessit. Chrysostomus super illud verbum: *In corde terræ, ita scribit:* « Non ait in terra, sed in corde terræ, ut sepulchrum denotet, et nemo apparentiam fuisse suspicetur. » S. Anselmus in sensu morali ait: « *In corde terræ, id est, in corde terrenorum, jam desperantium et dicentium: Nos sperabamus, quod redempturus esset Israel;* sic enim erat Christus in quorundam corde humano, quasi quilibet jacens in sepulchro. »

2. — Porro qualiter predictio illa Christi adimpleta fuerit, id ipsum inter sacros expositores non est satis liquidum, quia tametsi quod dies, triduum salvari possit attamen in noctibus difficultas est, quomodo ternarius numerus reperitur. Et quidem S. Ambrosius solem hunc in modum loquentem introducit: « Inveni, quid faciam, ut et moras non faciam et numerum dierum meorum custodiam, » non faciam integrum diem et integram noctem, » abbreviabo horas, ut tribus quidem diebus ac noctibus sit inter mortuos Dominus Jesus, citius tamen, quam trium dierum et noctis intervalla patiuntur, resurgat. » S. Gregorius Nyssonus autem, ut ternarium noctium numerum solvat, tres quoque tenebrarum horas, quæ in die crucifixionis acciderunt, computat inter noctes, dum ait: « Nam si Deus noctem tenebras appellavit, tribus autem horis tenebræ factæ sint super universam terram,

« spatium illud, in diei medio constitutum, nox « fuit. »

VERSUS 41.

Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; et ecce plus quam Jonas hic.

1. — S. Thomas de Villanova ait: « Quid vero illustre magis et insigne, ad penitentiam hominibus commendandam afferri potest, quam factum hoc Ninivitarum? Singulare omnibus sæculis monumentum. » Etenim nonnulli existimant, illo Jonæ tempore, Sardanapalum in Ninive regnasse; siquidem populus ille idolis et cuivis vitio deditus, suisque deliciis et voluptatibus funditus immersus, Dei autem totaliter oblitus erat; et tamen mox, ut Jonæ viri profugi et nudipedis vocem, ad meliora exhortantem, audit, ad asperitiam se penitentiam recipiens, adeo sancte et sincere se convertit, ut divinæ justitiæ sua eripiens fulmina, eandem plane exarmaret: « Penitentiam ege corde gesit et veniam « promeruit, » inquit S. Ambrosius.

2. — Porro fideles, superiori septimana voluptates suas seclati sunt in sensualitate carnis, in conciviis, in commensationibus, choræis, aliisque similibus bacchanalium profanis dissolutionibus, quos proinde Ecclesia hoc tempore ad penitentiam assidue exhortatur, utpote qua mediantè, superioris temporis iniquitatum facilem consequentur veniam: « Quando enim Deus in suis cultoribus et « fidelibus, veram despiciat penitentiam, » inquit S. Thomas, « qui etiam in hominibus, alioquin idololatris et paganis, eam non despexit? » Generoso igitur animo, ad penitentiam recurramus, ne a viris Ninivitis in die judicii convicti, confundamur.

3. — Lucas Brugensis hæc de re ita discursit: In civitate Ninive populus quidam plane barbarus, atque a veri Dei cultu plane alienus habitabat et tamen idem ille populus, mox ut virum quemdam incultum, peregrinum, nudum, nec ita pridem e ventre celi ejusdam ejectionem, vicinum eidem civitati excidium comminantem audivit, fidem verbis illius adhibens, a solitis vitiorum præcipitiis se subduxit, seriisque sacco cilicino et cinere coopertus egit penitentiam. Ex altera vero parte, Judæi, qui veri Dei cultum profitebantur, atque in sacris litteris a pueritia eruditi et instructi fuerant, audientes natum in medio ipsorum veri Dei Filium, ipsique dudum promissum advenisse Messiam, a tot Prophetarum oraculis, ipsis clare satis prædictum, quemque Joannes coram ipsis digito demonstravit presentem, quique se per innumera, eaque irrefragabilia miracula, tanquam verum Messiam ipsis et toti populo utilem et beneficium esse probaverat, ac penitentiam prædicans, eorum regnum ipsis promiserat: « Nec credunt, neque aversi ab animi

« sui perniciæ malitia penitentiam agunt, imo « contra impie ejiciunt benefactorem, afficiunt « injuriis, blasphemant, denique morte mulctant, « nec meliores evadunt. » S. Anselmus proinde dicit: « Ninivite sine signis ad penitentiam conversi sunt; Judæi vero nec per signa voluerunt « converti. » Jonas Propheta e balneæ visceribus egressus, Ninivitis prædicavit, ab eisque, ut serio se converterent, obtinuit: « In me autem cum sur- « rexero, non credetis, » ait in persona Christi Theophylactus. Ninivite Prophete loquenti, promptissimum adhibere fidem; Christus autem, qui in ore Prophetarum omnium locutus fuerat, apud Judæos prædicans, passus est repulsam, inquit Auctor Imperfecti, *Hom.* xxx. Ninivite, qui nec a Prophetis edocti fuerant, nec Christum aut ejus Apostolos unquam loquentes audierant, eque Mosaicæ legis beneficium acceperant, ad unius Prophete vocem, sese ad meliorem recipientes vite frugem, rigidam egerunt penitentiam: « Isti tot « præceptis eruditi legis et Prophetarum a Domino « recesserunt; illi, qui semper fuerant populus « diaboli, intra dies tres, facti sunt populus Dei; « isti, qui semper esse videbantur populus Dei, « intra dies tres, crucifixi Christo facti sunt populus « Satanae. »

4. — Paulus de Palatio in ea opinione fuisse videtur, quod videlicet Ninivitarum istorum penitentia, Deo adeo grata et accepta fuerit, ut simul cum sanctis Apostolis futuri sint in judicio finali, supremi Judicis assessores; dicit enim: « Non « absurde forsitan intelligi poterit, quosdam tanto « fervore ad Deum conversos, ut vite Apostolicæ « essent quædam figuræ; apostolorum enim « hominum est, reliquos in judicio condemnare. » Dionysius Carthusianus verba illa: *Surgent in judicio et condemnabunt, alio quodam sensu interpretatur;* dicit enim vocem *condemnabunt*, hunc sensum habere, ac si diceret: « Suo facto præ- « terito ostendens eam damnatione dignissimam « esse. »

5. — S. Hilarius, *cap.* xxi in *Matth.*, dicit: « Idcirco in resurrectione eos judicabunt, quia in « his reperitur timor Dei fuerit, quibus lex non « erat prædicta; hoc magis indigni venia, quia ex « lege sunt infideles, quo plus fidei in eis, qui « legem ignoraverunt, sit reperitum. » Enimvero non minus apte adversus multos Christianos, in vitis suis obstinatos, adduci potest illa Isidori Pelusiote sententia, seu potius impropria: « Comminationem extimerunt, » ita de Ninivitis scribit, « et ad inopinatum eventum exterriti « sunt; nos ingrati adversus eum manemus, atque « ad respiciendam inflexibiles. »

Ecce plus quam Jonas hic.

6. — S. Paschasius, *lib.* vi in *Matth.*, Christum

his verbis dicere voluisse existimat: Hic vobis præsens aliquis adstat, qui Jona longe major existit. « Hic autem, non nomen accipiendum, sed adverbium loci, quoniam in præsentiarum erat Christus, qui loquebatur sic de se, quasi de alio, ac si diceret: *Hic inter vos est, qui plus est quam Jonas.* » Porro prærogative, quibus Christus Jonam præcellit, multe sunt. « Ille a celo exsiliit, ego a morte resurgam, » inquit Chrysostomus. Christus in impassibili et glorioso corpore et sepulchro, propria virtute resuscitatus, egressus fuit, quod longe excellentius est, quam e faucibus cæti ejici illum, qui nunquam mortuus fuit. Christus mortis vincula dirupit: « Gemens infernus ululat, cum Rex ille fortissimus, mortis contractis viribus, pede conculcans tartara, solvit a pœna miseris. » Propheta ex ore Dei loquebatur: *Hæc dicit Dominus, quia subditi et servi illius erant: « Nam cum ille servus fuerit, » inquit Chrysostomus, « ego Dominus sum; » et tamen Jonas, valde irritus sese prædicandi causa, in Ninive receptus; non vero sic æterna hæc et incarnata Sapientia, quæ tanta cum facundia, tantaque cum promptitudine, animique alacritate Judææ prædicavit, ut illi auditores ipsius acclamarent: *Nunquam sic locutus est homo;* et Petrus ei dixit: *Verba vitæ æternæ habes.* Jonas patria, religione, moribus et lingua, Ninivitis peregrinus et advena erat; Christus vero in propria venit. « Ille Assyrii genti incredula, » inquit S. Paschasius, « ego Judæis, populo Dei; ille alienis a lege Dei, ego meis civibus » semper a lege et prophetis ea quæ promissa « sunt Patribus exhibeo. » Hugo Cardinalis Jonam illi populo triduo duntaxat et non amplius prædicasse scribit, quod idem similiter S. Paschasius, super septuaginta interpretum versione fundatus, docet: « Juxta Septuaginta Jonas tribus diebus « Ninivitis penitentiam prædicavit, ego vero tanto tempore. Ille voce tantum locutus simpliciter, » ait idem Sanctus, « nihil signorum faciens, » siquidem ipsum aliquod in Ninive patrisse miraculum, haud quaquam constat: « Ego innumeris præstiti « beneficia gratis. » Unde Chrysostomus ait: « Ninivite quidem absque signo aliquo crederent, cum vos multa miraculorum signa videatis. » Qui idem S. Doctor aliam quamdam observationem adjungit, dicens: « Nec quicquam, ante Jonæ verba « illa audierunt, cum vos per diversa genera Philo- « sophiæ ego educarim. » Præterea Jonas Ninive, vicinum et proxime imminens prædicabat exterminium, Christus autem totus intentus erat, ut cælorum regnum adeundum, infernum vero æternaliter observandum esse prædicaret. « Subversionem ille urbi « futuram, » inquit Chrysostomus, « prædicavit, « ego regni cælorum Evangelia vobis enuntio. »*

VERSUS 42.

Regina austri surgit in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam, quia venit a finibus terre, audire sapientiam Salomonis et ecce plus quam Salomon hic.

1. — Hoc de Regina austri, a Christo adductum exemplum fortius, quam quod de Jona attulerat, Judæos stringebat; quia, quod Ninivite, vocem Jonæ audientes, penitentiam egerint, vitamque suam serio emendarint, id adeo mirum non erat, siquidem id fecerunt, quia se, in communi illo Ninive excidio, vitam pariter et facultates amissuras esse formidabant; at vero Regina isthæc ob longe minoris momenti motivum, spretis omnibus tam prolixi itineris incommodis atque molestiis, contemptisque tot regno suo, per ejus absentiam, imminentibus dispendiis, quia subditi et servi posthabitis, Jerosolymam adiit, idque ex nullo alio motivo ducta fecit, quam tantum, ut Salomonis auscultaret, sæpius sibi deprædicatam sapientiam; quanto igitur Judæi inexcusabiliores erant, qui verum Salomonem, e cælo ad ipsos descendentem, ut ipsos in æternæ salutis via sectanda instrueret, lam turpiter et ignominiose spreverunt. Lucas Brugenis, hæc a Christo adductam antithesin, hunc in modum exaggerat: Mulier quædam gentilis et pagana, in schola Dei minime instructa, quia potius in vasti cujusdam regni innumeris curis negotiosis continuo occupata, admirabili duntaxat Salomonis sapientia commota, iter quoddam laboriosissimum et sumptuosissimum, ut ipsum audire posset, ab ultimis mundi finibus veniens, in se suscepit et quidem tametsi cum illo non nisi de rebus naturalibus et terrenis locuta et conversata fuerit, verumtamen salutaribus ejus quoque consiliis propinquius accessit, usque acquievit: « Judæi autem divine legis « alumni, sacris litteris addicti, Christum Dei virtutem ac sapientiam, in quo sunt omnes thesauri « sapientiæ ac scientiæ Dei, rejiciunt. »

2. — Quia igitur Judæi, aliquo saltem initiali lumine illustrati, Christum verum esse Messiam agnoscere potuerunt, tamen de hac notitia sese certiores omnino reddere neglexerunt, ideo ab hac Regina condemmandi erunt, quæ ad Salomonis sapientiam auscultandam, ab ultimis mundi finibus recessit. S. Hieronymus, in *Matth.*, autem dicit: « Condemnabit eam, non sententiæ potestate, sed « comparationis exemplo. » Hugo Cardinalis dicit: « Notabilia in hac Regina concurrunt varia, serus « fragilis, de remotis, cum difficultate, relicto « imperio, cum manneribus, ad purum hominem, « sola fama cognita venit; » quæ omnia, quantum Judæorum culpa aggravetur, satis ostendunt: « Dominum negligunt, viri, presentem, gratis « oblatum, sui generis, beneficium, Deum et hominem, miraculis approbatum. »

3. — S. Anselmus in sensu morali ita scribit: « Mystice vero per Ninivitas et Reginam, totus « gentilis populus ad fidem conversus significatur; « Ninivite enim significant eos qui peccare desistunt; Regina eos qui peccare nesciunt; penitentiam enim peccatum abolet, sapientia cavet. »

4. — Hæc eadem verba, multis fidelibus, salutem suam negligentes, seque spiritualibus thesauris locupletare minime curantibus, iis præsertim, qui hic Romæ degunt, impropere jure merito possunt, eo quod ad hanc alman urbem, tot alii ferventissimi Christiani, ex omnibus mundi partibus, ad eosdem thesauros lucrandos, per multas laborum molestias, sumptuosaque dispendia, conflant. Hugo Cardinalis Chrysostomum citat, dicentem: « Venit « a finibus terre, et Christiani nolunt de plateis, « ubi nihil agitur, venire ad audiendum Christum; « multi etiam de Ecclesia exeunt et Christum solum « relinquunt. » Apud Antipodas quoque multi sunt, qui Tyraanorum ensibus sponte propria occurrunt, vitamque et sanguinem suum, pro catholice fidei confessione, promplissime prodigunt, tametsi in ipsomet Christianismi centro multi, pro dolor, reperiantur, qui solo nomine ipsum profitentur.

VERSUS 43.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit.

Cum immundus spiritus.

1. — S. Antonius de Padua rationem reddit, cur immundus dicatur spiritus, dicens: « Immundus « est formaliter, non effective, fedat enim omnem « locum, id est, conscientiam, per quam transit. » Abulensis vero dæmonem, hunc titulum alio quodam ex motivo promereri existimat, nimirum quia « immunda vult, et homines ad immunditiam « movet. »

Exierit ab homine, ambulat, etc.

2. — Theophylactus verba hæc de illis exponit, qui in sacro lavacro fuere regenerati, ab his namque spiritus infernalis consequenter exit, seque in loca arida et inaquosa recipit, id est, « in animas non « baptizatas; sed in illis non invenit requiem, » cujus rationem hæc assignat, quia hæc jam de facto in ipsis sunt potestate: « Requies autem demonis « est, baptizatos turbare per mala opera, quoniam « non baptizatos jam habet. »

3. — Rupertus Abbas Tuitiensis autem mysterium explicat, ob quod, Evangelium istud hoc præcipue tempore quadragesimali et quatuor temporum legatur: « Quia proculdubio, juxta B. Job, xi, 18, « magis cubat in locis humentibus, dum exsiccata « jejuniis fastidit corpora; » quia in corporibus, per abstinentiam et jejuniium extenuatis, serpens tor-

tuosus nullam venenum suum effundendi invenit occasionem.

4. — Beda, in *Matth.*, dicit: « Loca arida, corda « sunt credentium, non habentia humorem luxurie, in quibus circumcens, consensum pravæ suggestionis suæ non invenit. » Similem quamdam rationem Ihabanus, a Glossa citatus, tangit, dum ait: « Corda fidelium, quæ a mollitie fluxu cogitationis expurgata, callidius insidiatorum explorat, si « quos gressus ibi figere possit. » Quia tamen id ei ad votum nunquam accidit, eo quod corda, honestatis amantia odio habet: « Ideo castas mentes effugiens diabolus, in solo corde pravorum, gratiam « sibi invenire potest quietem. »

5. — S. Antonius de Padua, per hæc loca arida, animas sanctorum intelligit: « Per conscientias « sanctorum, quæ sunt instinctu Spiritus Sancti « exsiccate. *Genes.*, vii, 1: *Adducit Dominus spiritus super terram, et imminuta sunt aquæ, scilicet « mundanorum voluptatum; ambulat per suggestionem.* » Communiter etenim in illos, qui solitudines et loca alpestris, et ab hominibus inaccessa inhabitant, insultus ipsius nihil proficiunt, sed vires ejus, ab eis ut plurimum retunduntur et superantur. Unde S. Basilus ad Nazianenum ita scribit: « O « eremus, ubi victor dæmonum socius efficitur « Angelorum. »

6. — Abulensis modum declarat, quod dæmon requiem invenire dici possit: « Non potest quiescere, quia in æternum cruciabitur et quocumque « vadat, infernum suum secum portat, sed querit « quietem suæ malæ voluntatis. » Invidus etenim est homini, nec aliud satagit, quam ut homini perniciosus esse possit, quo obtento, tunc proprie in suo centro et optata quiete esse dicitur: « Quando « nocere potest, quiescit aliquoties. » Albertus Magnus aliam quamdam expositionem hisce verbis adducit: « Est autem requies falsa, ut scilicet sic in « malo hominis quiescat, ut totum hominem non « tantum in transitu visitet, sed etiam per finalem « impenitentiam possideat. »

VERSUS 44.

Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens, invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam.

Revertar.

1. — Dæmon in hoc omnibus viribus suis contentus, ut, unde pulsus est, reverti possit: « Ut enim « superbissimus est, expulsi magis acuitur rabies, » inquit Lucas Brugenis, « ac nocendi libido, dolore « ex amissa præda concepto; quare discamus, « simul ac laqueis ejus Christi gratia erepti « sumus, vehementius et acrius certamen paratum « nobis esse; » ac proinde S. Thomas dicit, quod Christus per hunc loquendi modum nobis insinuet,

quod, tametsi nunquam ab anima nostra per penitentiam ejectionis et expulsus fuerit, « non tamen « totaliter dimittit eam, sicut de Christo in S. Luca « legitur, quod dimisit eum ad tempus. Hoc est « ergo intelligendum, ut semper solliciti sint, ne « revertatur. »

2. — Hugo Cardinalis ait : « Hinc timeant inci- « pientes, quia facilius recidunt. » Hic namque irreconciliabilis noster inimicus, in eo omne studium suum collocat, ut nos denuo, post respicientiam, in nova peccata reincidere faciat. Unde Antonius de Padua, *Serm. cit.*, ait : « Expulsus per « penitentiam revertitur per recidivum. »

3. — S. Augustinus verba illa de illis, qui statu perfectionis derelicto et abjecto, ad seculum denuo revertuntur, exponit : « Signat Dominus, quosdam « ita credituros, ut non possint ferro labore con- « linentiae, sed ad seculum redituri sint. »

In domum meam.

4. — Dæmon peccatoris animam, domum et habitationem suam appellat; at vero Paulus de Palatio eum, hac de causa, hisce verbis graviter obijurat, dicens : « Meniris superbe, non est domus « illa tua, Dei est, emit illam sanguine suo; Ecclesie « illa anima est, cujus filia est. Cur ergo mentiris « dicens esse tuam? » Veruntamen quadamtenus dæmon aliquam jurisdictionis speciem, in peccatoris animam habere dici potest, ob quam illam suam appellare potest, id quod presatus Paulus de Palatio ex variis ostendit argumentis : « Tum quia habet in « ea fomitem sibi faventem. Habet legem carnis, « repugnantem legi mentis et captivantem in lege « diaboli; si hostes nostros in nobis habet, qui « arcem ei se daturus promiserunt, quid miraris, si « domum dicat suam? » Quibus addendum, quod diabolus quasi nunquam ab homine egrediatur, quia in eodem semper, modicum quid pessimi seminis sui reliquum post se relinquit, scilicet vel malam aliquam inclinationem, aut pravum habitum, vel voluptatum preteritarum memoriam; unde David, *Psal. 1.*, 5, et xxxvii, 8, dicebat : *Peccatum meum contra me est semper. Lambi mei impleti sunt illiscentibus.*

Et veniens, invenit eam vacantem.

5. — Id est, ut S. Anselmus ait : « Negligentem. » Unde S. Hieronymus Rustico monitum istud præscripsit : « Facto aliquid operis, ut te « semper diabolus inveniat occupatum. » Otium namque diabolicis tentationibus aditum pandit. Et ideo Paulus de Palatio dicit : « Otiosam invenit. » Qui idem Auctor ulterius ostendit, quantum nobis in via Dei negligentia cavenda sit, nosque ad assiduum animæ curam habendam, hisce Apostoli verbis, excitat : *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, orationi instantes.*

6. — Lucas Brugensis dicit : « vacantem, id est, « a Deo non habitam, Dei gratia destitutam. » Unde colligitur, quod quando Deus animam aliquam deseruit, diabolo porta, ad possessionem animæ illius denuo resumendam, nequaquam occlusa sit. Hugo Cardinalis dicit : « Domus vacans « est, ubi non sit ignis charitatis, et homines, id « est motus rationales non habitant. »

Scopis mundatam et ornatam.

7. — Rabanus ait : « Ornatam simulatis virtutibus per hypocritam; » siquidem multi sunt, qui postquam semel se vite solitarie et perfectionis statui addixerunt, in conspectu mundi ad vitam denuo licentiosam retrogredi erubescunt, hypocritis student.

8. — Lucas Brugensis, Christum hoc loquendi modo dicere voluisse existimat, quod nos culpa, socordia et negligentia nostra dæmonem, ad reintegrandum in animam nostram, invitemus et quasi alliciamus, eandem ad eum modum præparando et exornando, qui ipsi vel maxime ardeat. Ac si ipse invitaretur et cupide rursus expectaretur hospes, quomodo cupide excepturus hospitem aliquem parat, purgat, ornat domum; nam spiritui immundo sola immunditia placet, nihil ei bene olet, præter fetorem et sordes.

9. — S. Thomas super hæc verba, considerationem quandam ingeniosam pariter et morale adducit, hisce verbis : « Quia quod mundatur scopis, « non mundatur, nisi quia leviter adhæret; unde « idem est scopare, quod leviter mundare et inde « scopatio, imperfecta mundatio. » Hugo Cardinalis ait : « Scopis confessionis; *Psalm. lxxvi.*, 7 : *Excitabam « et scopebam spiritum meum.* » Eheu quot sunt, qui per habitualam quandam consuetudinem, sine debita preparatione aut applicatione, vel sine debita contritione concepta, aut premissio proposito, aliisque concurrentibus partibus necessariis, confessiones suas insitunt? Præterquam quod unicus dumtaxat affectus inordinatus, in anima nostra residuus manens, diabolo, ad habendam in eandem denuo patentem aditum, abunde sufficit. Unde monebat Apostolus, *Eph.*, iv, 27 : *Noctem lucem dare diabolo;* sic v. g. qui hoc vel illud peccatum carnis a se commissum confitetur, absque eo, quod occasionem illius proximam deserendi propositum habeat, talis utique ad conscientiam suam emundandam scopam utitur; de quo, conscientiam mundandi modo S. Thomas dicit : « Hoc est superficialis « ornat; mundatio perfecta debet cum igne fieri, « et ornatus in lege, quod vasa igne debeant « mundari. »

VERSUS 45.

Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et intrantes habitant ibi, et sunt novissima hominis illius pejora prioribus; sic erit generatio huic pessima.

Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum.

1. — S. Thomas, in *Math.*, per adducta S. Augustini auctoritatem, hanc inter domos illas, hoc modo male exornatas, affert distinctionem : « Quia « aliquando penitens agit penitentiam, sed negligenter se habet et tunc fit proclivior; » alii vero post commissum peccatum, se illud abominari simulant tantum, adeoque peccato priori, « in statu « penitentiae addunt simulationem. »

2. — S. Anselmus ait : « Per septem spiritus, « omnia vitia intelliguntur. » Albertus Magnus peccatorum in pristina vitia facile recidivantium, hanc specialem ponam esse existimat, quod postea in quemvis vitium enormem excessum facile reincidunt, sineque deinceps diaboli fascinatione tenacius adstricti : « Quoniam homo recidivus, meretur « pejoribus demonibus subijci, quam ante, dum « non recidivus. » S. Antonius de Padua multas enumerat circumstantias, quæ malitiam eorum, qui in pristina peccata facile reincidunt, magnopepe gravant; nimirum : « Ingratitudinem veniæ « sibi factæ; fracturam foderis, quo Deo promiserat, non peccare mortaliter; subsannationem « misericordiae, cui illis; contumeliam sacramenti confessionis et matrimonii, per eam contracti inter Deum et inter se, et tradidit se in « manus inimici; iniquitatem retributionis, eiciendo « Deum; perditionem Dei. »

3. — Theophylactus dicit : « Convertitur ad « baptizatum cum spiritibus septem; sicut enim « septem sunt dona spiritus, ita a diverso septem « sunt malitiae spiritus. Cum autem ingressus fuerit « in baptizatum, deterior fit calamitas; prius enim « spes erat, per baptismum esse purgatum; postea « autem non est spes secundi baptismi, nisi per « penitentiam, que valde laboriosa est. »

Nequiores se, et intrantes habitant ibi.

4. — S. Anselmus inquit : « Nequiores dicuntur, « quia graviora sunt peccata post baptismum quam « ante; » ac proinde scribit Apostolus, *Heb.*, vi, 4 : *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste et participes facti sunt Spiritus Sancti et prolapsi sunt, rursus renovari ut penitentiam;* quibus verbis difficultatem, non vero impossibilitatem insinuare intendit.

5. — Glossa per hosce septem spiritus, septem intelligit vitia capitalia, septem virtutibus contraria : « Nequiores, quia non modo habet vitia, sed et « bona simulat, tanto nequiores, quanto callidiores. » Unde præter vitium etiam hypocrisis

accedit, de qua S. Hieronymus, a Lyranus hoc loco citatus, scribit : « Simulata sanctitas duplex est iniquitas. »

6. — S. Paschasius, *lib. vi in Matt.*, aliam reddit rationem, cur Saluator noster septem illos spiritus denuo receptos, prioribus pejores esse dicat : « Quia graviora sunt vitia, quæ post perceptam legem vel gratiam committuntur, quam fuerant illa, quæ nulla percepta lege, operantur. » Quoniam teste S. Paulo, « melius esset viam Dei non nosse, quam post perceptam gratiam retrorsum abire; aut sub hypocrisi, fide aut vitiosissime vivere, quia cum quisque derit de culmine justitiæ Dei, deinceps jam simulationem habebit. »

Intrantes habitant ibi.

7. — S. Thomas de Villanova, *Conc. in hac fer.*, ait : « Intrantes per consensum peccati, habitant « ibi per peccati permanentiam. » Unde notandum est verbum, « habitant. » Paulus de Palatio quærit, quoniam igitur modo illic ingressi sunt? Num forte portas et fores apertas et patulas invenerunt? « Quid? Non erat qui resisteret? certe si Dominus « vacabat et dormiebat, invenit vacantem, merito « non erat, qui resisteret. » Mors Ioseth illata fuit ob eum, qui foribus custodiendis intentus esse debebat, negligentiam; illo namque dormiente, sicarii illi ingressi sunt, *ferente die, domum Ioseth, qui dormiebat super stratum suum meridie, et ostiaria domus purgans triticum obdormiebat, ingressi sunt domum latenter, assumens spicas, percusserunt eum in inguine.* II Reg., iv, 5.

Et sunt novissima hominis illius pejora prioribus.

8. — Chrysostomus nos monet, *Hom. lxxix in Math.*, ne verba hæc solis Judæis dicta esse existimemus, utpote que non minus quam illos directe respiciunt. « Hæc non ad illos solum, sed etiam ad « nos ipsos dicta esse credamus, nam si divina luce « illuminati, et a prima delictorum miseria erepti, « rursus ad eandem malignitatem revertimur, graviter punitos nos profecto expectabit; » adducitque sanati illius paralytici exemplum, cui Saluator dixit : *Non amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Lucas Brugensis, Christum hujus supplicii comminationem proferre voluisse, dicit : « Ut « sciant, quale sibi iudicium accersant, qui in « vanum accepta Dei gratia, jannam diaboli rursus « aperiant. »

9. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxx.* de malis Christianis exponit, dicens : « Experimenta nos « docent, quomodo Christianus, si malus evaserit, « pejor sit, quam si fuisset gentilis; » etenim medicine vulgaris hic est aphorismus : « Corruptio « optimi, pessima. »

10. — Lyranus per hunc miserabilem, in septem

demonum potestatem redactum, hominem hypocritam intelligendum esse censet: « Significatur peccator, curatus per Dei bonitatem, sed propter ingratitude suam sequentem, dimittitur eadem: dere in hypocritam pravitate et sic finit novissima hominis illius pejora prioribus; » siquidem ad priorem malitiam, insuper fictionem et hypocritam adjungit, quas nihil est aliud quam facta quedam sanctitas et virtus.

Sic erit generationi huic pessimæ.

11. — S. Hieronymus, totum hanc Christi discursum Judaismo adaptandum esse dicit. « Nam spiritus immundus, » inquit, « ab hoc populo exiit, quando eidem a Deo lex data fuit, » qui ab inde per loca arida ambulans, requiem quæsit, quando ab Hebræis expulsus ad gentiles se recepit; quibus demum Evangelium Christi amplexantibus: « Ille non invento loco in nationibus, dixit: *Revertar in domum meam*, id est, redibo ad Judæos, quos ante dimiseram; vacabat enim templum Judæorum et Christum hospitem non habebat, dicentem: *Surgite eamus hinc*. Et alio in loco: *Retinetur vobis domus vestra deserta*; quia igitur Dei et Angelorum presidia non habebant et ornati erant superfluis observationibus legis et traditionibus Pharisæorum, revertitur diabolus ad sedem suam pristinam et septenario sibi dæmonum numero addito, fiunt illius populi novissima pejora prioribus. »

VERSUS 46.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

Adhuc eo loquente ad turbas.

1. — Lyranus dicit: « Ille ponitur confutatio insidiantium ipsius infirmitati, assumptæ in hoc, quod ipso prædicante, dixit ei quidam insidiator, quod Mater sua et fratres ejus expectabant eum foris. » Insidie autem, quas hic ipsi clam machinabantur, in eo consistebant, an scilicet hanc ob causam, cooptam intermissurus esset prædicationem; ut in hoc casu, « arguerent, ipsum esse purum hominem, motum propter affectionem carnalem. » Verumtamen insidiator ille turpius a Salvatore delusus fuit, reipsa ostendente, quanto sibi major ratio esset servitii Dei et salutis animarum, ostendens, quod spiritualis occupatio est carnali affectioni præponenda.

2. — Auctor Imperfecti, *Hom. cit.*, hoc quodam diaboli stratagemate et astu, factum fuisse existimat, utpote, qui videns Christum in eo totum esse, ut per prædicationem suam turbis illis se verum Dei Filium esse persuadere posset, se a populo illo deserendum esse merito formidabat: « Ad convincendos sermones ejus, introduxit parentes ejus

« carnales, ut per illorum contemplationem divinitatis ejus obfuscaret naturam, ideoque venit aliquis, quasi diaboli advocatus, qui humano ore, verba diabolica loqueretur, dicens: *Ecce, etc.*, quasi dicat: Quid gloriaris Jesu, de celo dicens te descendisse, qui radices habes in terra? *Ecce Mater tua et fratres tui*; non potest esse Filius Dei quem homines genuerunt. »

3. — Advertendum est autem, Christum ob hanc interpellationem, a prædicatione sua nequaquam desuisse, ut ait Lyranus, ut hanc nobis doctrinam traderet, « declararetque manifeste, quod opus Dei præponendum est negotio familiarium personarum. »

Ecce Mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

4. — Hi, qui hoc loco fratres dicuntur, ejus secundum carnem consobrini, sive nepotes erant, qui, ut Lucas Brugensis videtur, sanctissimam Virginitatem in sua secum societate adduxerant, ut tanto facilius suum assequerentur mentis intentum; in hoc namque pro viribus adhibebantur, ut eum a cepta prædicatione detorquere et impedire, seumque in Nazareth conducere possent; ex quo enim ne ipsi quidem cognati ejus, divinitati ipsius fidem adhibebant, prouti, *Joan.*, vii, 3, scribitur: *Neque enim fratres ejus credebant in eum*; et *Marci*, iii, 21: *In furorē versus est*; ideo magnopere, ne forte causa prædicationis ipsius, aliqua in populo seditio excitaretur, metuebant, ne forte in tali casu, uni eisdemque miseriam cum ipso demum involverentur, neque enim apprehendebant, quod, quidquid operabatur, zelo gloriæ et honoris Dei ab illo fieret, suamque doctrinam tantis miraculis consolidaret, nempe, *I Cor.*, ii, 14: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus*. Et quia nondum adæquate, quisnam esset, discernere poterant, ideo ignominiam aliquam ipsis ab eo inferendam esse formidabant.

5. — Titus Bostrensis aliter opinatur, dum ait: « Quia desiderabatur Christus, propter beneficentiam, « accedunt ad eum cognati, » quasi ad conciliandam sibi auram quandam popularum et apud plebem benevolentiam; illum sibi presentem habere desiderarint; quia *pertransibat beneficiendo et sanando omnes*. »

6. — Credibile est etiam, quod, ut ex illis S. Marci, vi, 31, verbis: *Nec spatium manducandi habebant*, colligitur, eum propter vigilias, aliosque labores et molestias, valde fatigatum esse scirent, pietate et compassione, erga ipsius insuperabiles labores, commoti, eum aliquantulum a populo subducere, eumque ad aliquam jam illi præparatam corporis refocillationem invitare voluerint.

VERSUS 47.

Dixit autem ei quidam: Ecce Mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes te.

1. — Præter id, quod jam ex mente Auctoris Imperfecti a nobis dictum est, S. Hieronymus dicit: « Videtur mihi iste, qui nuntiat, non fortuito et simpliciter nuntiare, sed insidias tendere Salvatori, utrum spirituali operi carnem et sanguinem præferat. »

2. — Tertullianus hujus interpellationis mysterium declarat, dicens: « *Foris stant*; figura Synagogæ in Matre adjuncta et Judæorum in fratribus tori, utrum spirituali operi carnem et sanguinem præferat. »

VERSUS 48.

At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea? Et qui sunt fratres mei?

1. — S. Anselmus dicit: « Non injuriose fratres contemnit; sed opus spirituale carnis cognationi præferens, religiosorum cordium copulam docet esse quam corporum. » Cui perfecte consonat, quod Glossa his verbis scribit: « Non recusat obsequia Matris, sed præfert ministeria Patris. » Lucas Brugensis Christum dicere voluisse putat: « Nullam matrem, nullum fratrem agnosco secundum carnem, dum Dei negotium ago. » Sic quoque in crucis ligno suspensus, ubi humanam operabatur redemptionem, a Patre sibi injunctam, sanctissimam Virginitatem Matrem, mulierem appellabat, dicens: *Mulier, ecce filius tuus*. *Joan.*, xix, 26.

2. — Rupertus Abbas Tuitiensis cavendum nobis esse dicit, ne, Christum in deferenda sanctissimæ Matri suæ debita filiali reverentia quiddam defuisse existimemus: « Neque enim genitores inhonoratur, ubi solus Creator illis præfertur, qualiter hoc fiat, suo ipso exemplo Dominus indicat; » ubi præsens facinus Evangelicum adducit in medium.

3. — Auctor Imperfecti opinatur, Christum per hoc denotare voluisse, quod, tametsi matrem haberet in terra, ipse tamen, tanquam verbum, basis et fulcrum sit humanitatis: « Nam quod hominem me videtis, vestimentum meum est, non natura. »

4. — Considerandum quoque hic est, quod Christus hæc dicens actualiter verbum Dei annuntiabat, atque ideo, ut Guerricus Abbas optime ait: « Illi, qui sermonem Evangelii, parentes annuntiando, interrumpat, melius respondere non poterat; » ostendere etenim volebat, quod, ubi de ministerio Dei agitur, nullus carni et sanguini locus deferri debeat.

5. — Forsitan, inquit Rupertus Abbas: « Evangelizabat tunc, cum hæc diceret, præcepturus ut homo perfectionis amator, propter Evangelium, « patrem et matrem derelinquat. »

6. — S. Cæsarius observat, Christum ob hanc, apud eum insinuatam, Matris et fratrum interpellationem, a prædicatione nequaquam remisisse: « Neque Christus cum a Matre et fratribus quæretur, vocationem admisit, cum apud auditores salutiferam doctrinam exorsus esset. » Imo S. Hieronymus, ut credibile est in favorem verbi Dei per exaggerationem, dicit: « O mysterium! Matrem Mariam sibi Dominus abjurat, cum extra verbi audientiam esset constituta, eo potissimum tempore, quo verbum prædicabatur a Verbo. »

VERSUS 49.

Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea et fratres mei.

1. — Nimirum incarnata Sapientia, ex mente S. Hieronymi, dicere voluit: « Isti sunt mater mea, « qui me quotidie in credentium animis generant; « isti sunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. » Lyranus Christum dicere voluisse arbitratur: « In tantum est mihi aliquis propinquus, in quantum est spiritualibus actibus intentus. »

2. — Dionysius Carthusianus dictum hoc Christi tribus potissimum modis, a nobis intelligi posse dicit: « *Primo*, « Mater mea et fratres mei sunt, id est, tam dilecti, ut matres et fratres diliguntur. » *Secundus* sensus est: « Tanto propinquiores sunt mihi, quanto amplius intenti sunt rebus divinis. » *Tertio* discipulos esse, velut matrem et fratres suos dicit, id est: « Per contemplationem internam spiritualiter me concipiunt et per contemplationem nem ac vitam exemplarem, generant me in cordibus aliorum. Et sicut Apostolus, *Gal.*, iv, 19, « loquitur: *Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*; sic ergo generant me, « id est, esse et habitare me faciunt in aliorum præconiis. »

VERSUS 50.

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

1. — S. Hilarius, *Con. xii in Math.*, graviter nobis persuadet, Christum nullum filiali respectui, amantissimæ Matris suæ debito, intulisse per hæc verba præjudicium, id quod vel eo maxime arguit: « Non fastidiose de Matre sua sensisse existimandum est, cum ipsi in passione positus, maximæ sollicitudinis tribuerit affectum. »

2. — Lucas Brugensis, litteralem horum verborum sensum hoc modo explicat: « Ille a me agnoscitur et frater, et soror, et mater, ille horum simul omnium instar est; tam est mihi propinquus et charus, quam sint homini frater, soror et mater; propinquus est autem non carne, sed spirituali ritu. »

3. — S. Hilarius ad eum, quam cum Deo habemus, nobilissimam parentelam stipitem sese reflectit, dicens: « Propinquitatum omnium jus atque nomen, non jam conditione nascendi, sed de Ecclesie communi retinendum. » Imo Chrysostomus, *Hom. XLV in Matth.*, parentelam istam considerans, continere se nequit, quin exclamet: « O mirabilem humorem! O virtutis incredibiles vires! quo dicitis bene viventes homines? multo propinquiores Deo sunt, qui voluntatem ejus faciunt, quam qui summa carnis necessitudine conjunguntur. » Ipsam Virgo, Mater et Genitrix Christi tanto tamque stricto parentelae vinculo, Filio suo annexa, adstricta non fuit ex eo, quod illum genuerit, quam ex eo, quod super omnes animas creatas, supraque omnes spiritus Angelicos, cum voluntate Dei artissime et intime conjuncta fuerit. Unde S. Augustinus, *de S. Virg.*, scribit: « Mater ejus est, omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus, foecundissima charitate in iis, quos parat, donec in eis ipse formetur. » Demum vero ad Mariam Matrem ejus descendens, subjungit, dicens: « Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo Mater est,

« spiritualiter autem et soror et Mater. » S. Justinus Martyr ait: « Non Matrem debito honore fraudat Dominus, sed docet, qua, ut ita dicam, maternitate virgo sit beatissima. Si enim is, qui verbum Dei audit et servat, Dei est et frater, et soror, et mater, quorum utrumque in ejus Matre inerat, « perspicuum est Matrem ipsius ex hac matris ratione beatam dici oportuisse. »

4. — S. Gregorius, *Hom. in Matth.*, quo modo ad strictissimum spiritualis cum Christo parentelae gradum pertinere valeamus, his verbis nos optime docet, dum ait: « Sciendum nobis est, quia qui Christi frater et soror est credendo, mater efficiatur praedicando, quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit et mater ejus efficiatur, si per ejus vocem, amor Domini in proximi mente generatur. »

5. — Valde etiam consideranda sunt verba illa: « Mater mei qui in caelis est; etenim S. Paschasii consideratio est, dicens: « Interea ne de Joseph dicere rursus calumniarentur, cum voluntatem Patris requirebat, addidit: *Qui in caelis est*, ut monstraretur luce clarius, seipsum de caelo venisse, quamvis filius hominis in carne videretur. »

FERIA QUINTA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XV, VERS. 21

21. Egressus Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.
 22. Et ecce mulier Chanaanæ, a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine Fili David; filia mea male a daemonio vexatur.
 23. Qui non respondit ei verbum; et accedentes ad eum discipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.
 24. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.
 25. At illa venit, et adoravit eum dicens: Domine adjuva me.
 26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.
 27. At illa dixit: Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.
 28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

VERSUS 21.

Egressus Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.

1. — Ex quo duæ hæc civitates gentium fuerunt, Christus autem Apostolus suis expresse prohibuit, *Matth.*, x, 5, dicens: « In vitam gentium ne abieritis, mox in exordio præsentis Evangelii, difficultas occurrit, quare ipsemet Dominus noster in hæc usque loca sese receperit? Ad quam Albertus Magnus, *in Matth.*, respondet: Dicendum, « quod

« ipse suo mandato non obligatur; » quisque enim legem aliquam condit, eadem semper superior existit: « Vel dicendum melius, quod non vadit « ut prædicet, vel maneat, quod supra prohibuit, « sed occasione præfigurandæ salutis gentium. » Idem quoque Doctor argute observat, quod dicatur in partes Tyri et Sidonis; « in partes, inquam, et « non in civitates, quia confinia tantum intravit. » Prohibitio igitur prædicationem Evangelii spectabat, de cætero enim, per ipsorum dominia pertransire,

sibi que exinde de sufficienti victus annona prospicere, minime prohibitum erat; imo ipsemet Christus Apostolos suos misit in Samariam, ut prandium sibi compararent. Porro S. Marcus, vii, 24, eandem in hoc Evangelio recensitam historiam refert, simulque cautelam et circumspeditionem insinuat, qua se Christus, huc veniens, a suorum oculis abscondit: *Ingressus domum, neminem voluit scire*, in illa namque regione, ne quidem videri voluit, cujus rationem S. Paschasius hisce verbis adducit: « Ne ullam « Judeis daret calumniandi occasionem. »

2. — Porro mysterium hujus exitus, quo Salvator in partes Tyri et Sidonis secessit, S. Thomas hisce verbis explicavit: « Quia a Judeis repellebatur, ideo ad gentes secessit, secundum illud, « *Ap.*, xiii, 46: *Vobis oportebat primum loqui, etc.* » Nimirum Hebræi ex iis, quæ Christus pro ipsorum emendatione dixerat, graviter Christo offensi erant, ac proinde se ejus prædicatione magis indignos reddiderunt; præterquam quod tempus illud jam præforibus erat quo regnum Dei ad gentilismum transferendum erat; atque ideo hæc loci mutatio, « Christus significavit, » inquit Jansenius, « quam « sitiret etiam gentium vocationem, pertæsus infidelitatem Judaicam; » ac proinde non clam, sed palam et ipsis videntibus videri inter gentes voluit, ut Judæis ostenderet, quanto majorem salutaris disciplinæ et gratiarum suarum fructum gentiles ex Evangelio reportaturi essent. Lyranus id factum esse dicit: « Ut ex devotione gentium, ostendatur « justa reprobatio Judæorum. »

3. — Hugo Cardinalis, *in Matth.*, ex horum nominum *Tyris* et *Sidon*, accurata etymologia, sequentem deducit moralitatem: « Tyris tribulatio; Sidon « venatio mœroris interpretatur. Prædicator debet « egredi, ut Domino venetur peccatores. *Jerem.*, « *xvii, 16: Mittam venatores; et venabuntur vos; in « Tyro autem venatur Dominus, quia angustia est « saltus, ubi tristes, ubi capiuntur poenitentes. « Baruch.*, iii, 1: *Anima in angustiis et spiritus « unicus clamat ad te.* »

VERSUS 22.

Et ecce mulier Chanaanæ a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, Fili David; filia mea male a daemonio vexatur.

Et ecce.

1. — Hoc verbum *Et ecce* admirationis est indicativum. Sic enim, quando S. Evangelista Lucas historiam Magdalenæ texere coepit, eandem hoc verbo exorsus est: *Et ecce mulier*; ubi S. Antonius de Padua, *in ser. v. Pasch.*, ait: « Nota, quod *Et ecce* est « adverbium admirationis; » heroica enim Chanaanæ hujus fides, cunctaque aliæ ipsius virtutes, ipsamet Dei Filium in admirationem et stuporem rapuerunt. Ipsa namque in cunctis sæculis admi-

randa est in Ecclesia, orationis recte instituendæ magistra, quæ nos in corde ad faciendam veram et ferventem orationem præclarissime instruit, modumque nobis tradit faciendæ supplicationis Deo porrigendæ, ad impetrandas desideratas a Deo, nobisque necessaria gratias.

Mulier.

2. — Albertus Magnus, *in Matth.*, ait: « Sexus « fragilis, facile seducibilis, modo masculinum sibi « ingerens animum et ideo supra modum mirabilis. » *Ruth.*, iii, 11: *Scit omnis Israel, mulierem te esse virtutis.*

Chanaanæ.

3. — Chrysostomus, *Hom. lvi in Matth.*, hoc loco ponderat, quod populus Chanaan, olim jussu Dei ab Hebræis exterminati fuerint, quibus, in bona Chanaanæorum, et substantias, ac facultates eorum succedentibus, Deus insuper voluit, ne ullam cum iis communicationem haberent commerciorum, aut convictium, ne forte ab ipsis, utpote gentilibus, a divino ipsius cultu pervertentur aut abalienarentur; et ecce hodie iidem, olim maledicti Chanaei, in persona miseræ hujus mulieris, sese Christi pedibus advolvunt, ipsamque adorant, et tanquam verum Dei Filium agnoscent, dum interea Judæi eandem contemnunt et abiciunt, « Qui enim ejecti sunt, « ne Judæos pervertent, hi adeo ipsis Judæis me- « liores fuerunt, ut terminis suis relictis, ad Chris- « tum accederent, cum Judæi ad ipsos venientes « extruserunt. » Basilii Seleycus quoque, *Orat. xx*, dicit: « Chanaanæ mulier, sed animi probitate « genus refutabat, in qua naturam vicit fides. »

4. — S. Thomas in hæc Oratrice, multos egregios et heroicæ virtutum actus notat. Et primo quidem loco, in ipsa se prodit « Conversio petentis. *Eccli.*, « *xviii, 23: Ante orationem, prepara animam tuam. « et noli esse quasi homo, qui tentat Deum; prepara « rat animam, quando a vitulis se mundat; hoc « designatur, per hoc nomen Chanaanæ, quæ idem « est, quod mutata; item qui convertitur, debet « non solum vitare peccatum, sed etiam occasio- « nem peccati. » Secundo loco, devotionem ipsius notat, siquidem clamabat: « Clamor autem magnus « affectum designat. » Tertio, ejus pietatem, quia « alienam miseriam, suam reputabat; unde dicit: « *Miserere mei.* » Præterea humilitatem ejus observat quæ petit ex confidentia misericordiæ Dei. Quarto, observat, quam viva et generosa fides ipsius fuerit, quia ex quo S. Jacobus, i, 6, dicit: *Postulet, in fide nihil habens, ideo ipsa in primis Christi divinitatem confessâ fuit, per dictionem illam Domine, Ps. « *xcix, 3: Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; deinde etiam professa est ejus humanitatem, dum ei hoc epithetum, Fili David, attribuit. Rom.*, i, 3: *Qui factus est et ex semine David, secundum carnem.***